



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Antiquorum opiniones de mirabilium operationum causis, & primo de
elementis. Cap. IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](#)

MAGIÆ NATVR. LIBER I.

posse. Gnarō animo, seduloq; res primō consideret, & præparet, mēx opus aggrediātur, nil temere faciat. Hoc dicere volui, vt si inscius fallitur, nobis vitio ne vertat, sed suam culpet inscitiam: hæc enim non tradentis, sed professoris imbecillitas est: nam si hæc in manibus rudiſculi versabuntur, derogabitur scientiæ fides, fitque vt fortuita videantur, quæ verissima, ac necessarijs eueniunt causis. Si quæ efficiſ mirabiliora, vis videantur, cauſe cognitionem tollito, illud enim mirum, cuius cauſa latet spectantem, qui enim cauſas nouerit, nimum autoritatē derogat, catenū illud rarum, insuetumq; habebitur, quatenus cauſe abditæ sunt. Aristoteles in Mechanicis ait, Architecti instrumenta fabricant, celantes principia illius, quæ admirationem præstant. Quidam lucernam extinxit, ac rursus muro, vel lapidi admouens, accendebat, ceu rem mirandam, & tunc illud mirum videri desit, inquit Galenus, quum sulphure contactum reperiere. Ephesius. Miraculum inde soluitur, vnde videtur esse miraculum. Sit quoque fortuna diues: difficulter enim operamur, si opes non suppetunt, oportet enim ditari, vt philosophemur, non autem philosophari, vt ditemur. Sumptibus ne parcat, sed perquirendo prodigus, dumq; attentius examinatusq; perquirit, patiens reuocare ne grauetur, nec laboribus parcat: otiosis enim, & ignatis naturæ secretæ non panduntur. Vnde recte Epicharmus dictabat, Deos mortalibus omnia laboris pretio vendere. Et si descriptioni non respondent effectus, in aliquibus te defecisse scito, non enim rudibus, & tyronibus, sed artificibus, & ingeniosis breuiter prescripsiimus.

Antiquorum opiniones de mirabilium operationum causis, & primo de elementis. CAP. IV.

Quos saxe intuemur Naturæ effectus in causarum auctoritate ita priscorum Philosophorum animos accendit, vt in eo non parum insudarint, & hallucinati sint, vt varij varias dixerint opiniones, quas antequam ulterius progrediamur, referre non fuerit inopportum. Primi ab elementis omnia progredi, eaq; rerum principiis

DE CAVSIS RERVM.

principia statuerunt, ut Hippasus Metapontinus, & Heraclides Ponirus ignem, Diogenes Apolloniates, & Anaximenes aerem, Thales Milesius aquam. Hæc igitur primigenia Naturæ semina statuerunt, scilicet elementa, simplicia corpora (nunc autem illegitima, spuria, & adulterina, & magis & minus alijs mixta transmutantur) materiale principium naturalis sunt corporis, perpetua vicissitudine alterabilia, & vertibilia agitantur, atq; ita sunt intra ingentes cæli fornices congregata, vt totum hunc sublynarem repleant mundum. Ignis enim levissimus, purissimusq; , vt visum effugiat, in altum se substulit, & superiorem locum sibi asciuit, quem æthera appellant. Huic proximum elementum spiritus, paulo igne ponderosior, immensa amplitudine circumfusus, per cuncta meabilis ad suam nos reddit qualitatem, nunc in nubes densatur, cogiturq; in nebulas, & soluitur. Succedit his aqua, inde ultimum ex defæctis elementis abrasum, coalitumque, quod terfa dicitur, cunctis substernitur, crassa, solidissima, impenetrabilis, vt nil tangi possit solidum, quod terræ sit expers, & nil vacuum sine spiritu. Ipsa medijs patio æquilibra ta, obuallatur omnibus, immobilis sola residens, alia nanq; rotata vertigine circumferuntur. Hippo vero & Critias elementorum vapores principia dixerunt. Parmenides qualitates pronuntiavit; ex calido namque & frigido omnia constare dixit. Medici ex quatuor qualitatibus, calido, frigido, humido, sicco, quando simul conferuntur ex eorum victoria. Singula enim elementa vicina, veluti quibusdam vlnis cōpleteuntur, & contrarijs dissident qualitatibus. Natura enim sagax ratio modulo, miraque, opportunitate hanc machinam architectata est. Quum enim binæ essent in unoquoq; qualitatibus, in aliquibus iugabilis societas, in aliquibus vero discrepantia, talem singulis de duobus alteram dedit, vt cui adhæreat, agnatam sibi, & similem habeat qualitatem, vt aer, & ignis, alter enim calidus, & siccus, alter vero calidus & humidus. Siccum enim & humidum contraria sunt, conciliatione tamen socij caloris copulantur: si terra frigida & sicca est, aqua enim frigida &

humida, quæ et si per siccum & humidū sunt aduersantia, connectuntur tamen frigiditatis societate, aliter enim difficilis esset eorum concordia. Sic ignis paulatim in aerem abit per calidum, hic in aquā per humidum, aqua in terram per frigidum : & terra igni per siccum coniungitur, & ita prouidissimè gradiuntur. Inde ordine præpostero denuò transmutantur, & ex se inuicem fiunt: facilis enim transitus, quum communem nocta sunt qualitatē, vt ignis & aer per caliditatē, quæque autem ambabus opposita sunt qualitatibus, vt ignis & aqua, difficilius vertuntur. Caliditas igitur, frigiditas, humiditas, & siccitas principes qualitates dicuntur, quum ab elementis elabantur primō, & ex ijs secundarij emanent effectus, quarum duæ effectrices sunt, caliditas, & frigiditas, quæ plus ad agendum quam patientium natæ sunt: patiuntur aliæ, humiditas, & siccitas, non quod prolsus ocentur, sed quia ab alijs cōseruentur, & inducantur. Secundariæ dicuntur, quasi primis inseruientes, & secundō operari dicuntur, vt emollire, maturare, resoluere, tenuorem reddere, vt quum calidum in mistum aliquod agens, educit impurū, & dum suæ actioni idoneum reddere tentat, vt simplicius fiat, evadit tenue: sic frigidum cōseruat, constringit, & congelat: siccum inspissat, & exasperat: nam dum excedit in illius superficie humidum, quæ consumere non valer, indurat: vnde superficie scabrities inducitur, nam vacuitate depresso, & eleuata duritie, partium sit asperitas, & prominentia evenit. Sic humidum auget, corrumpt, & plerumque per se vnum agit, per accidens aliud, vt ex maturatione, constrictione, expulsione, & ijs similibus lac, urinam, menstruum, sudorem euocat, quæ tertiae à Medicis dicuntur qualitates, sic secundis inseruientes, vt iliaz primis, & quandoque in aliquibus operantur mēbris, vt caput corroborare, tenibus consulere, quar & nonnulli quartas vocant. Hęcigitur fundamenta pronunciarunt mistorum omnium, & operationum mirabilium, quæque in medio protulere experimenta, ijs componi, & causas reperiri posse crediderunt. Sed Empedocles Agrigentinus clementis uti

noꝝ

non sufficientibus concordiam, & litem addidit, ex una
res gigni, corrumpi ex altera, his versibus:

*Quatuor in primis cunctarum semina rerum.
Iuppiter aethereus, Pluto inferus, almaq; Iuno,
Et Nestis lacrymis hominum, qua lumina compleo.
Non nunquam connectit amor, simul omnia rursus,
Non nunquam se iuncta iubet contentio ferre.*

Iouem autem intelligit feruorem, & ethera, aliam ve-
rio lunonem aera, Pluronem terram. Nestim quoque hu-
manos riuos, tanquam genitaram, & aquam. Concor-
diā & litem hanc reperiri in elementis per qualitates
sibi oppositas dissidentes, & consentientes, ac etiam in
ipso celo, ut Iuppiter & Venus planetas omnes dili-
gunt, praeter Martem & Saturnum, Venus amica Marti,
cui planetæ cæteri auersantur. Est altera inimicitia,
qua per oppositiones domorum, & exaltationes. Fla-
grant enim odio signa, & amicitiae nexu coniuncti-
tur, vt canit Manilius:

*Quien etiam proprijs inter se legibus astra
Conueniunt, & certa gerunt commercia rerum.
Inq; vicem præstant visus, atq; auribus herene.
Aut odium, fœtusq; gerunt, conversaq; quadam
In se met proprio discuntur plena furore.*

Multas naturæ operationes ex formis prouenire.

C A P. V.

PERIPATETICI omnes, & recentiorum Philoso-
phorum ætas, ex ijs, quæ à vetustioribus dicta erant,
rerum operationes omnes tueri nō poterant, quum res
aliquando contraria qualitatibus operarentur, ac ultra
elementa, & qualitates, aliquod aliud esse cōiectarunt,
vti virtutes substantialibus formis connatae. Nunc au-
tem, vt enucleatius patescant omnia, equum est memi-
nisse, à quibus vires proficiuntur, non minimum in re-
periendis notis, componendisq; profuturum: vt sepa-
rare, & discernere discamus, nec omnē veri seriem con-
turbemus. Quum ex eodem mixto plures fluitent effe-
ctus varijs admodum, & diuersi, ex uno autem perorari
principio, est omnibus in confessu, cuiusmodi multa in

A S